



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magvntino Archiepiscopo, & Cameracensi Episcopo, & Praeposito
Bunnensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tem, ne sanguis tuus de nostris manibus requiratur, qui tenemur ex injuncto nobis officio de salute animæ tuae sollicitè cogitare, nobilitati tuae per apostolica scripta mandamus & in virtute spiritus sancti districtè præcipimus quatenus usus consilio saniori, eandem filiam tuam prædicto Regi sposo suo, sicut præstito jureamento teneris, tradere non differas in uxorem, famæ tuae confulens & saluti. Nos enim venerabilibus fratribus nostris Maguntino Archiepiscopo & Episcopo Cameracensi nostris damus litteris in mandatis ut si venerabilis frater noster Colonienensis Archiepiscopus requisitus præfata filiam tuam infra mentem noluerit coronare, ipsi vel eorum alter, si ambo nequeunt interesse, auctoritate nostra suffici, eam omni contradictione, occasione, & appellatione celsante coronen. Si vero, quod non credimus, aliud duceres faciendum, noveris quid in personam tuam, uxoris tuae, ac terram tuae dominationi subjectam ecclesiastica severitatis gladium exerceremus, cum propter similem culpam in quoddam Reges & regna ecclesiasticam jam duxerimus sententiam proferendam, sicut tua nobilis non ignorat. Præterea, quicquid de ipsa filia tua contra mandatum nostrum feceris in deregationem canoniceæ sanctionis irritum decernimus & inane; prædicto Cameracensi Episcopo & dilecto filio Præposito Bunnensi & majori Decano Colonensi nostris dantes litteris in mandatis ut ea qua præciosissimus non differant publicare. Datum Romæ apud sanctum Petrum vi. Kal. Novembri, pontificatus nostri anno septimo.

MAGNTINO ARCHIEPISCOPO.

Epi. 112.

Cum propter defectum pallei, quod Placentius tibi restituere noluerat, non modicam sustinueris detrimentum, & nos tuis profectibus intendentis, aliud tibi palleum per venerabilem fratrem nostrum Cameracensem Episcopum & dilectum filium magistrum Vv. de Leicestria nuntium tuum duxerimus transmittendum, fraternitatì tuae per apostolica scripta mandamus quatenus eo utaris ad divini nominis gloriam, apostolica sedis honorem, salutem animæ tuae, necnon utilitatem metropolis Maguntinæ. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus tam erga nos quam erga carissimum in Christo filium nostrum illum Regem Ottentonem in Romanorum Imperatorem electum talem te studeas exhibere ut fidem & devotionem tuam magis & magis in opere comptobemus. Datum Romæ apud sanctum Petrum v. Kal. Novembri.

MAGNTINO ARCHIEPISCOPO,
& Cameracensi Episcopo, & Preposito Bunnensi.

Epi. 113.

Cum iij qui olim nullam vel modicam nobis & apostolice sedi reverentiam & obedientiam exhibebant, Graci videlicet, Blachi, Bulgari, & Armenij, nunc ad obedientiam nostram & devotionem apostolice sedis plenè per Dei gratiam revertantur, ut sit unum ovile & unus pastor, dolemus plurimum & turbamur quod venerabilis frater noster Colonienensis Ar-

Tom. I.

chiepiscopus, qui videbatur esse nobis obediens & devotus, ab obedientia & devotione nostra declinat, cum præcepta nostra, quæ ipsi multo-
tiens iteravimus pro carissimo in Christo filio nostro illustri Rego Octone in Romanorum Imperatorem electo, pertinat aure surda, & quod pejus est, ipsum penè penitus deseruisse videatur, quodque pessimum, in contrarium machinari. Hoc autem malum tam grave repu-
tam & grande quod ex eo, nisi quantocius corrigeratur, Ecclesia Coloniensis & civitas irre-
parabile detrimentum incurret, & ipse Archiepiscopus, qui per hoc & famam ex toto cor-
rumpit & etiam perdit omnino, nos & Roma-
nam Ecclesiam in confusionem, si posset, indu-
ceret vehementem. Cum enim non ipse nos-
trum, sed nos ejus in hac parte fuerimus judi-
cium imitati, & in favorem ejusdem Regis ip-
se nos traxerit, non nos ipsum, si eum dimise-
rit sine nobis, quia nos cum nullatenus dimi-
temus, profecto tam ipsi quam nobis illud po-
terit non immerito coaptari: *Si cœcus cœcum du-
xerit, ambo in foveam cadunt.* Sed si voluerit, po-
tius ipse cœcus cadat in foveam quam nos, qui
nolumus sequi cœcum, in foveam corruiam.
Malentes igitur ut idem Archiepiscopus per ad-
monitionis vestre studium à suo revocetur er-
ore, discretioni vestre per apostolica scripta
mandamus & districte præcipimus quatenus ad
Colonensem Ecclesiam pariter accedentes,
convocatis Prioribus & aliis quos videritis con-
vocandos, coram eis dictum Archiepiscopum
monere diligenter & inducere procuretis, ei-
dem ex parte nostra in viritate obedientia firmi-
ter injungentes ut ab hoc errore, usus consilio
saniori, penitus resipiscat, & ne omnino per-
dat operam & impensam, eidem Regi, sicut
prædicto fidelitatem juramento teneat, suum
impedit auxilium & favorem, & alios ad de-
volutionem & servitium ejus diligenter inducat;
proponentes eidem quod si secus duxerit facien-
dam, in eam se difficultatem inducat de qua non
facile poterit expediri. Si vero ad excusat-
ionem suam proposuerit coram vobis quod idem
Rex eum offenditer vel gravarit, ipsum cognita
veritate ad satisfactionem ei debitam im-
pendendam monere diligenter & inducere pro-
curetis, & si necesse fuerit, auctoritate nostra
cogatis; cum etsi prædicto Regi favere velimus,
præstatum tamen Archiepiscopum in suo cupiamus
jure fovere. Alioquin veritatem diligenter
examinatam per vestras nobis litteras appella-
tione cessante fideliter intimetis; ut per rela-
tionem vestram instruatis, si prædictus Archiepiscopus de inobedientia vitio, quod secun-
dum Prophetam idolatriæ comparatur, & ju-
ramenti transgressione, per quam juxta legem
divinam in vanum assumitur nomen Dei, ad-
mirabilis * apparuerit, securim ad radicem in- * id est, cul-
fructuose arboris apponamus, & cum stare non possit,
apostolica falce succisa, in locum ipsius
talem faciamus succrescere plantam quæ fruc-
tum suavitatis proferat & odoris. Sanè nos ei-
dem hac vice non seribimus; quia cum super
hoc ipsi multo-
tiens direxerimus scripta nostra,
nihil aut parum profecimus apud ipsum, quia
mandata nostra pariter & præcepta exaudire

B B b b b

noluit totiens iterata. Ideoque volumus & mandamus ut has litteras in omnium legi praesentia faciat, & exhortemini clericum ac populum diligenter ne permittant ut Ecclesia Coloniensis & civitas, quæ inter universas Ecclesiæ & civitates regni Theutonici tam gloria quam magnificientia est sublimis, enormiter confundatur. Ceterum si dictus Archiepiscopus maluerit nostris obedire mandatis quam in hujusmodi contumacia perdurare, ipsum de nostra reddatis gratia certiore, ex parte nostra firmiter promittentes eidem quod ad honorem suum pariter & profectum taliter dante Domino intendemus quod de nostra poterit gratia merito glorificari. Vnde ut nostrum sibi sentiat patrocinium aliquatenus non deesse, si forte contra dilectum filium nobilem virum Henricum Comitem Palatinum præfati Regis germanum querelam interferit coram vobis, vos auctoritate nostra suffulti quod justum fuerit appellatione postposita decernatis, & faciatis quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari, Quod si non omnes &c. duo vestrum. Datum Romæ apud sanctum Petrum i v. Kal. Novemb.

AQVILEGENSI PATRIARCHÆ.

Epist. 114.

CVM in susceptione pallei præstiturus sis corporaliter juramentum quod nobis & successoribus nostris & Ecclesiæ Romanæ fidelis & obediens semper existes, fraternitatim tuæ per apostolica scripta mandamus & in virtute obedientiae districte præcipimus quod post hujusmodi juramentum exhibitum & receptum patientes litteras tuo sigillo munitas apostolatui nostro transmittas, in quibus profitearis aperte quod ex debito præstiti juramentum tam super imperij Romani negotio quam etiam super aliis nobis secundum Deum obediere teneris; ut ij qui tam in Theutonia quam in Italia similem nobis professionem fecerunt, aut is qui pro eo quod talen facere noluit, meruit ab officio pontificali suspensi, non debeant contra nos scrupulofo corde moveri tamquam apud nos sit acceptio personarum, aut in manu nostra pondus & pondus quasi statera dolosa constat. Alioquin properter inobedientiae culpam, quæ secundum Prophetam idolatriæ comparatur, ut de reatu perjurij taceamus, nisi feceris quod præcipimus infra mensem, ex tunc usum pallei tibi noveris auctoritate apostolica interdictum.

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 115.

FRUSTRA jacit rete ante oculos pennatum, & durum est cuique contra stimulum calcittare. Nos enim sathanæ non ignoramus astutias, & prompti sumus inobedientiam omnem ulcisci. Dominus ergo sit nobis adjutor, non timebimus quid faciat nobis homo. Maledictus enim homo qui confidit in homine, aut qui carnem brachium suum ponit. Væ autem ingredienti terram duabus viis, quia nemo potest duobus dominis servire. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attenuius, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus sacrosanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam de corde puro & conscientia bona & fide non facta studeas venerari, pro certo cog-

noscens quod is qui supra se petram suam edificavit Ecclesiam non permettit ut portæ inferti prævaleant contra eam iuxta quod ipse testatur: Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit. Erat enim supra petram fundata. Quia vero semper diligit qui amicus est, & frater in necessitate probatur, tu, amabilis frater, tamquam aurum in fornace te proba; quamvis fornax nondum septuplum quæ succendi consueverat sit succensa, sed in proximo fulgura sint in pluviam convertenda. Datum Romæ apud sanctum Petrum v i. Idus Maij.

ARCHIEPISCOPO MAGNTINO,
Episcopo Cameracense, & Scholastico sancti
Geronis Coloniensis.

VT Adolphus Colonensis Archiepiscopus incidat in foveam quam paravit & intret ipsius gladius in cor ejus, pertinax ipsius inobedientia, perjurium iteratum, & proditio divulgata depositum. Ipse etenim nec Deum timens, nec reveritus hominem, nec Colonensis Ecclesiæ dignitatem attendens, in offenditam Dei, Ecclesia Romanæ contemptum, & sedis sua dispendum a se obedientiæ jugum excusit, juramentum semel & iterum præstitum violavit, & eum prodidit quem crearat. Sanè cum olim carissimum in Christo filium nostrum illum Regem Ottomem in Romanorum Imperatorem electum coronasset in Regem, & fidelitatis ei præstisset juramentum, apud nos multipliciter instituit ut eidem Regi favorent apostolicum impendentes, ratum quod ipse fecerat haberemus. Cumque multiplicatis intercessionibus obtinuissest a nobis ut in favorem Regis ipsius deferemus Ecclesiæ Colonensis honori, cœpit postmodum in ejus devotione tepescere; ac manum suam ab aratro retrahens, occasiones frivolas invenerit ne quod plantaverat irrigaret; quatenus citò aresceret planta ejus, cum sollicitudinem suam manus ei subtraheret plantatoris. Verum quia neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus, invaluit nihilominus per Dei gratiam novus palmaries; & cum jam extenderet ramos suos & uberioris pullularet, vidit plantator invidus & invidit, & quodammodo in ejus excidium conjuravit. Quia vero nihil est occultum quod non reveletur & absconditum quod non sciat, sed testimonium veritatis, non potuit occultare diutius virus suum; quia nequam intentem iniqua operatio revelavit, & arbor agnita est in fructu. Commonitus igitur & conventus iterum præstitit juramentum quod eundem Regem nunquam desereret nec in partem aliam declinaret; sed nec juramentum stabilire potuit mentem illam, quæ innata levitatis vitio fluctuabat. Nos autem, licet non de facili crederemus quod vir tanta præditus dignitate sic esset adversarius sibi ipsi ut quod fecerat intenderet annullare, ne quid tamen sollicitudinem nostram decesset, ad constantiam eum excitare volentes, & monitis & minis institutis apud ipsum & sub quanta ei potuimus distinctione præcepimus ut in ejusdem Regis fidelitate persisteret & ad promotionem ipsius

Epist. 116.
Arnoldus Lu-
bec. lib. 7. cap.
3.